Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

autem sancti lucia ad dominum dicens: Qui in principio celum et terram verbo constituisti: qui de limo terre hominem formasti et spiritum vite inspirasti, accipe spiritum meum. Et dum complesset orationem in gloria domini emisit spiritum. Videns autem sanctus geminianus amovit eam de loco. et non potuit sepelire corpus eius. custodivit autem semetipsum usque in tercium diem. Tercia vero die ascendens de crepidine in ipso ore crepidinis ab inimico exceptus gladio vitam finivit. Discedente vero persecutore transiens quedam mulier nomine maxima valde christiana sepelivit corpora eorum. Agitur autem natalis sanctorum sexta decima kalendas octobris.

Eodem die S. Eufemie virginis et martyris.

Quinto persecutionis anno diocleciani imperatoris prisco proconsule in europa civitate calcidonie erat persecutio magna christianorum. In qua civitate erat sophista quidam gentilium nomine appellianus inimicissimus inimicus christianorum. Hic accessit ad memoratum proconsulem priscum et publice eum interpellans dixit: Notum sit dignitati tue de magno deo marte, quod omnes invictissimi et magni reges deo magno marti sacrificant. Iube ergo per omnem edictum ut quicumque eum honorare sacrificiis neglexerint puniantur. Placuit prisco consilium et in his verbis scriptum composuit: Omnibus vobis notum sit viri calcedonenses ut his octo diebus purificatio fiat, ut nono die immolemus deo magno marti. Quicumque autem hec contempserit sciat se inimicum saluti regum et ut ad iudicium maiestatis diversis suppliciis puniendum. Nono itaque die mox ut intercrepuerit tuba omnes simul ad templum martis alacres veniamus, respicientes nobis deum magnum martem. Nono ergo die tubicinator luctuosa voce vocare cepit miseros gentiles ad mortem potius quam ad martem. Erant autem in civitate plurimi christiani, ad quos erat assidua virgo sanctissima eufemia filia filofronis senatoris. Cuius mater erat dei cultrix, que non solum ipsis que erant necessaria ministrabat, sed omnibus sollicita succurrebat, expectans retributionem futuram. Appellianus autem minister satane dicit ad proconsulem: Sunt viri aliqui hic qui in superiora domus se recludentes et imperatoris iussa et nostra decreta contempnunt, irridentes sacrificia nostra. Hoc audito proconsul precepit eos suis aspectibus presentari. Cumque adducerentur in medio se eorum eufemia inseruit dicens: Et ego christiana sum. Quid est quod nos pergitis ad coronam et virginem participem non vocatis? Mirari ceperunt omnes et ipsi qui eos inhibitos ducebant et hii qui exhibiti ducebantur. Erat enim gaudens eufemia et quasi iam vicisset diabolum ita de christi victoria presumebat. Quid multa referam de exemplis eius? Omnis turba virorum confortata est ut erubescerent timere viri cum quibus puella properabat. Vultu itaque erat ita hilaris ut in ea et pudicitia et sanctitas et virginitas ita splendesceret ut etiam facies se ad contendendum illuminaret. Qui cum stetissent omnes ante proconsulem, dixit eis proconsul: Omnes

eufemie